

IN NOMINE S.S. TRINITATIS  
*Disputatio Theologica*  
SECUNDA  
*De*  
**J U S T I F I C A -**  
**T I O N E**

*opposita*

*Matæologiæ CALVINIANÆ,*

*E T*

*Publicè proposita.*

In Illustri & florenti Academia JENENSI,

*P R A E S I D E*

**JOHANNE HIMMELIO**  
POMERANO, S. TH. D. ET PRO-  
fessore publico,

*R E S P O N D E N T E*

**M. TOBIA HERMANNO**  
MEMMINGENSI.

*Ad diem XXVI. Septembr.*

*In Auditorio Majori horis matutinis*

*A N N O M. DC. XVII.*

**J E N Æ**

oll. diss. A  
9, 14

*Typis TOBIÆ STEINMANNI.*

*XXXIX. 45.*

И М О Н И Й С Т А Н И Ч А Т Ы

С Р О Г О Д Н Е Й

А П И О Б

Э Б

# Л И С Т И Г И С Т А

Е В О Г

С Р О Г О

А П И О Б О С И Г О Л О З А М

Т З

П А П А Б А Б А

И М И С Т И Г И С Т А Н И Ч А Т Ы

А П А З А Я

# О И М М И Й Э И Н А Н О

П О М Е Р А Н О , С Т И Д . Е Т Ч Р О

Л И О Н О С П Р И С О

З А Г О Н Д А С Т Я

# М О Б А Н Е К А Н И О

Л С К И М И С Т А



А н д р е а с

М . D C . Z A V

# Л И Е

Л И К А М И С Т А

Л И К А М И С Т А

DISPUTATIONIS  
SECUNDÆ  
DE  
JUSTIFICATIONE  
*contra*  
*Matæologiam Calvinianam.*  
T H E S I S. I.



Hesin nostrarum Ecclesiarum cum  
antithesi doctrinæ Je-suiticæ in loco de  
Justificatione Disputatione prima posuimus,  
proposituri hac secundâ antithesin Calvinia-  
nem.

II.

Etsi verò quamplurimi in hac versentur opinione; Calvi-  
nianos in justificationis Articulo esse Orthodoxos & ex aſſe cum  
Evangelicis convenire contra Pontificios; quod & nobis perſua-  
dere conatur ( majori tamen fraude quam laude ) D. Pareus c. 24.  
Ireni. Contrarium tamen verum esse intrepide afferimus, & clara  
voce pronunciamus: Calvinianos hoc in Articulo nequaquam  
accepit tenere, nec cum Lutheranis, sed potius cum Pontificiis  
ac Esavitis facere.

III.

Atq; hic erit totius nostræ Disputationis scopus, ad quem  
duplici hoc syllogismo generali collimamus.

IV.

Prior hic esto:

A :

Quicunq;

Quicunq; in loco de Prædestinatione sunt heterodoxi, illi  
in loco de Justificatione nequeunt esse Orthodoxi. Calvinia-  
ni in loco de Prædestinatione sunt heterodoxi. Ergo &c.

V.

Propositio extra omnem dubitationis aleam est posita.  
Qualis enim Prædestination, talis justificatio, cum justificatio in  
tempore, sit Prædestinationis ab æterno factæ executio.

VI.

Assumptio probatur, quia Calviniani in Prædestinationis  
Articulo crassè imò hæretice errant Deo affingendo nescio quod  
decretum absolutum & Stoicum, quod ipsem Calvinus vocat  
*crudelē* l. 3. Inst. cap. 23. §. 4. *horribile*, l. d. §. 5. Errant item Deo im-  
putando causam primam, supremam, violentam ac inevitabilem  
lapsūs omniumq; peccatorum, Calvi. l. 3. Inst. c. 23. §. 3. 8. 9. Cal-  
no subscribunt Beza, Zanch. Piscator, Rennecher, & horum  
complices; a quibus jure hodie secessionem faciunt, vi veritatis  
adacti & erroris in conscientia constricti ac convicti in Anglia &  
Belgio plurimi, ut P. Bertius & reliqui vulgo Armeniani dicti.

VII.

Posterior Syllogismus Generalis esto hic:

Quicunque 1. in Definitum; 2. Definitionem; 3. Cau-  
sam efficientem principalem; 4. Instrumentalem; 5. Obje-  
ctum justificationis turpiter cum Esavitis impingunt, illi non  
pro Orthodoxis & Evangelicis, sed pro Cacodoxis & Pseudo-Ev-  
angelicis sunt habendi.

Calviniani hoc faciunt. E.

VIII.

Major sua radiat luce. Minorem ordine probamus se-  
cundum singula membra.

I. In *Definito* seu *Nomine* Calvinianos turpiter cum Je-  
suitis errare ita ostendo:

Quicunq; justificationem à Salvatione realiter distinguunt,  
illi

illi cum Je-suitis in Scripturam sacram impingunt. Calviniani  
ni hoc faciunt. E. Major probatur his Scripturæ di-  
ctis, Ephes. 2, 8. Act. 13:38, 39. cap. 15. 11. Roman. 4:3. 6. 24. Tit. 3, 5.  
Minor patet ex tractat. Joh. Piscator. l. 2. de Justific. c. 3, cui suffra-  
gantur NeoMarpurgenses.

## IX.

II. *Definitionem justificationis evertunt Calviniani statuen-*  
*do implicitè cum Je-suitis justificationem primam & secundam,*  
*quod hoc modo probo :*

## X.

Quicunque Infantes non eo, quo adulti, justificari modo  
asserunt, illi cum Je-suitis justificationem primam & secundam  
asserunt.

Hoc faciunt Calviniani. E.

## XI.

Propositio pater. Assumti⁹ probat urex Colloq. Momp.  
pag. 49. 495. edit. Tubing. It. Resp. 2. Bezae ad Act. Colloq. pag.  
97. & seqq. Piscator. Resp. ad dictata Hoffman. pag. 84. Ubi  
docent: Infantes justificari fide aliena. Quos sequitur Bellarm.  
l. 1. c. 9. de Baptism.

## XII.

Justificationem hanc geminam aliquot refutavimus ar-  
gumentis Disp. Pri. 9. 14. Infantes suā non carere fide in loco de  
Baptis. effectu abundē docetur. Unicum tantūm in mentem  
revocamus Adversarijs, quod habetur Hab. 2, 4.

## XIII.

III. In Causam efficientem principalem non uno modo im-  
pingunt Calviniani. Primum, Christi satisfactionem non omni-  
modo necessariam fuisse, asserendo. Calvi. l. 2. Inst. cap. 17. §. 1.  
Muscul. de Justif. p. 267. Idem docuerunt olim Scholastici. Tho.  
p. 3. q. 46. art. 2. Durand. 4. sent. d. 15. Biel. 3. sent. d. 20. Tartaret. 4.  
sent. d. 15.

## A 3

## XIV, Li.

## XIV.

Licet verò missio Filij erat hypothetica (uti loquitur Lomb. sent. d. 20. Tho. p. 3. q. 1. a. 2.) tamen missio Dei erat necessaria; etenim infinita Dei justitia læsa, infinito etiam placando erat pretio, Esa. 63, 3. Psal. 48, 8.

## XV.

Deinde impingunt hīc Calviniani; Meritum Christi mutando partim ratione ipsiusmet meriti, partim ratione ejusdem Objecti.

## XVI.

*Ratione ipsius meriti* docendo: Christum non totali, hoc est, Activa & Passiva, sed partiali, hoc est, sola passiva obedientia pro nobis satisfecisse. Errorem hunc postliminiò reduxit in Ecclesiam Johan. Piscator, cui succenturiatas præbent operas, R. Goclenius, Dani. Tile. Herm. Ravensperg Matthi. Martin. & horum similes, quos hoc syllogismo à nostris repellimus Ecclesiis.

## XVII.

Si Christus non solum pro nobis est mortuus Rom. 5: 6, 10. sed & voluntatem Patris fecit cœlestis Psalm. 40, 10. Heb. 10, 7. Joh. 4, 34. c. 5. 30. c. 6, 38. & Legem pro nobis implevit Matth. 5, 17. Galat. 4: 4, 5. & per ipsius obedientiam constituimur justi Roman. 5: 18, 19. Ejusque beneficio ac merito justificatio Legis in nobis impletur Roman. 8, 4. Estque finis & perfectio Legis Roman. 10, 4. factus nobis Deo justitia 1. Corinth. 1, 30. ut in eo efficiamur justi. 2. Corinth. 5, 21. sequitur Christum non sola Passiva, sed & Activa, seu, ut Piscat. loquitur, non sola mortis, sed & vitæ obedientia pro nobis satisfecisse.

Verum Antecedens ex Scripturæ dictis citatis.

E. & Consequens,

## XVIII.

*Ratione Objecti* meritum Christi annihilant Calviniani inpiè scribendo: Christum non pro toto mundo & omnibus in Adamo lapsis, sed solum pro Electis (& quidem absolute) satisfecisse ac mortuum esse.

XIX. Ita

## XIX.

Ita enim blasphemè blasphemus scribit Beza Ref. 2. ad Coll. Momp. p. 215: *Nobis intolerabilis vox viseret, Christum esse mortuum pro condemnatis.* Item p. 221: *Iterum dico & coram tota Ecclesia Dei profiteor, falsum, blasphemum, impium esse dicere; Christum sive quoad Dei consilium attinet, sive quod ad effectum, non minus pro damnatorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse & satisfecisse, quam pro peccatis Petri, Pauli & aliorum Sanctorum.* Idem in Disp. de dignit. & effica, Sacrif. pag. 129: *In illa, inquit, phrasi, Christus mortuus est pro omnibus sufficienter non efficienter, ut Scholastici loquuntur, acyrologia esse videtur. Si enim consilium Dei, sive passionis effectum, sive utrumq; spectaveris, pro impiis nullo modo est mortuus. Alias fatemur, tanti esse hanc oblationem, ut potuerit pro infinitis mundis, si tot essent, satisfacere, nedum pro singulis unius, si Deus eorum omnium voluisse misereri, & pro omnibus filium mississet.*

## XX.

Eadem reliquorum Calvinianorum sententia est; à qua quā multum absit, Bellarm. lib. 2. de grat. & l. arb. c. 8. scribens: *Credimus Deum absoluta voluntate velle salvare Multos, & absolute voluntate altos non velle salvare, tūm parvulos, tūm adultos.* It. c. 9: *Voluit Deus hominem condere, ac ut laberetur. & permittere, & Quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare, alius in massa perditionis justè relictus.* Item illi qui statuunt; *Christum non pro omni peccato satisfecisse, nec peccatum pro quo Christus satisfecit ullo modo damnare posse;* ipsimet viderint.

## XXI.

Hæresin hanc hoc refellimus Syllogismo duplici, quorum prior petitur à *Sufficienti Dei effectu*:

Si Christus satisfecit & pro omni peccatore & pro omni peccato, sequitur eum omnes omnino homines redemisse.

Atqui satisfecit & pro omni peccatore Matth. 18, 11. Luc. 19, 10. Rom. 5: 18, 19. tūm resipidente Joh. 3, 16. c. 6, 40. Marc. 16, 16. tūm im peccatis manente & finali incredulitate pereunte. Rom. 14, 51. I. Cor. 8, 11, 2. Pet. 2, 1. Hebr. 10, 29. Adde 2. Pet. 1: 1, 2, 1. Pet. 2, 7. Gal. 1, 3. & pro omni peccato Esa. 53, 6. Joh. 1, 29. 1. Joh. 1, 7. c. 2, 2. Ergo.

## XXII. Syllo

## XXII.

Syllogismus alter, sumitur à flagranti Dei affectu:

Si Deus i. etiamnum seriò vult omnium hominum salutem  
1.Tim. 2, 4. 2. nec ullorum vel damnatorum vel damnando-  
rum mortem ac interitum expetit, Ezech. 33, 11. 2.Pet.3,9. 3. O-  
mnesque ad se invitati & seriò vocati Esa.55,1. Matth. 11,28. &  
4. recusantibus. severè irascitur ac æternam minatur pœnam, Prov.  
1:24.25.26. Esa.65. 11. Jer.7:13.14. Joh.3.18. Luc.14.24. Seque-  
natur Christum pro omnibus omnino hominibus, omnibusq; pec-  
catis esse mortuum.

Verum Antecedens ex dictis allegatis. E. & Consequens,

## XXIII.

Idem docent Orthodoxi Patres, quorum testimonia &  
numero benè multa & pondere gravissima collecta sunt ab aliis,  
nos unico illo Prospere contenti erimus: Nullus omnino est ex e-  
milibus hominibus, pro quo Christus non salisficerit.

## XXIV.

Valeant igitur suis cum distinctionibus frivolis & frigidis  
Calviniani, de Voluntate signi & Beneplaciti; de Merito Sufficienti &  
Efficaci. Quibus distinctionib. ex Scholastica Theologia mala fide  
deceptis, qui pessimè abutantur, in ipsa evaginatio ostendendum  
nobis erit.

## XXV.

IV. Causam Instrumentalem justificationis. Disp. pri. §. 30  
diximus esse duplicem: Alteram respectu Dei exhibentem, nam  
Verbum & Sacra menta; alteram respectu hominum recipien-  
tem, nam Fidem.

## XXVI.

Utramque impugnant Calviniani. Verbum siquidem D. s. I  
seu Scripturam sacram arguunt cum Je-suitis mendacii & etro-  
ris, incertitudinis, inefficaciae, obscuritatis & ambiguitatis, imper-  
fectionis, imò judicio Rationis plus tribuunt, quam judicio Spiriti-  
tus S. in Scriptura loquentis, uti membra singula demonstravi-

mus

satis proptiis Calvinianorum verbis par. i. Harmon. Calvine.  
Papist. c. i.

### XXVII.

De sacramentis quām frigidē sentiant Calviniani, nīmis,  
proh dolor, notum est. Ita n. Zwinglius in Confess. ad Carol. V.  
scribit: *Credo, imo scio, omnia Sacramenta tam abesse ut gratiam confe-  
rent, ut ne afferant quidem aut dispensent.* Idem docet Beza, Grynae,  
Paræus, Piscator. Vid. Dn. D. Mentzer. Art. 5, Exeg. C. A. p. 242 &  
seqq.

### XXVIII.

Contrà Scriptura docet: *Verbum seu Evangelium esse poten-  
tiam Dei ad salutem Rom. 1. 16. Per verbum dari Fidem Rom.  
10, 17. Actor. 11, 14. nos regenerari 1. Cor. 4, 15. salvari 1. Tim. 4,  
ult. reddi cohæredes ac consortes promissionis in Christo Eph.  
3, 6. Exempla vide Act. 2, 37. c. 8; 35, 37. c. 10, 44. c. 11: 20, 21. c. 16,  
24. c. 19: 4, 5. c. 28, 24.*

### XXIX.

Eodem modo de *Sacramentis* Scriptura testatur, Deum per il-  
la efficaciter operari Act. 2, 38. c. 22, 16. Rom. 6, 3. Gal. 3, 27. Eph. 5,  
26. Tit. 3, 5. 1. Pet. 3, 21. Quod fuisus probatur in loco de Sacra-  
mentis.

### XXX.

Fidem quoque Calviniani, quantum in ipsis est, evertunt &  
convellunt dum absoluto suo, quod fingunt, decreto particulari,  
& regeneratione probabili tollunt non tantum certitudinem re-  
demptionis, sed & justificationis ac salvationis, imo loco Fidei nil  
nisi meram dubitationem Papisticam plenis velis in Ecclesiam  
invehunt. Quod parati sumus cuilibet legitimè petenti ad ocul-  
lum demonstrare. Contra Dubitationem pugnavimus Disp.  
præced. s. 35.

### XXXI.

Adde, q. Calviniani nos sola Fide (instrumentaliter) justificari  
& salvari cū Apostolo nō afferant, sed cum Je-suitis B. opera Fidei  
in foro justificationis adjungāt docentes; predestinatos per B. opera  
in vita eternæ possessionem induci Calv. l. 3. Inst. c. 14. §. 21. Bona opera  
esse necessaria ad salutem. Beza Vol. 1. p. 675. Opera bona suo modo esse  
causam adjuvantem & Efficientem salutis Vorst. par. 2. Tessa. p. 126.

B

Esse

*Esse causam sine qua non justificationis, viam per quam pervenitur ad salutem; adeoq; recte dici; nos non salvare sine B. operibus. Joh. Piscat. l. 2 de Justif. c. 3. It. in Bibl. Ger. c. 6 ad Rom. v. 23. Fidem sufficere ad apprehendendam salutem, non autem ad eam conservandam; sed amplius requiri: vita & emendationem. It. Vita & emendatione perfici conversionem, & fidem & salutem in nobis conservari. Prax. & Medul. Catechet. Neo-Marp. quæst. 67. & 70.*

### XXXII.

*Quid quæso aliud hoc est quam latum pæna Pontificiis: canere & cum Je-suitis conspirare. Unde vicissim Je-suita Be- ca. Calvinianis applaudit de justif. B. Oper. p. 224, canens: Moderateores sunt aliqui ex Calvini Discipulis. Mulus scilicet mulum sca- bit. Et hic est egregius ille Calvinianorum in justificat. Articulo: consensus & concentus contra Papatum!*

### XXXIII.

*V. Tandem in Objectum justificationis enormiter impin- gunt Calviniani dum docent; justificari & salvare non tantum verâ & salvificâ fide præditos & imbutos, sed & eadem destitutos.*

### XXXIV.

*Zuinglius lib. contra Catabapt: Non soli, inquit, credentes filii: Dei sunt, sed eti, qui Electi sunt, filii sunt Dei, etiam si moriantur antequam credant. It. Non sequitur; Electus est, ergo credit. Neq; hoc sequitur; Non credit, ergo non electus est. Electi enim semper sunt Electi; etiam antequam credant. Idem in Exposit. fidi ad Christ. Regem: Hic in vita æterna: visurus es Herculem, Aristidem, Numam, Camillum, Catones, Scipiones. Hanc sententiam defendit Gualth. peculiari Apolog. Danæ. Tossa. contra Marbach. Sohn. in Exeg. C. A. Pare. in Ireni. c 28..*


### XXXV.

*Idem statuunt Pontifici: Andrad. l. 3: p. 292: Gentibus non prorsus ignoratus fuit Christus Jesus crucifixus. p. 295. Socrati non planè fuit Christus incognitus. Idem contra Chemnit. Num tu Chemnit. Philosophas & Gentiles illa fide & Dei cognitione destitutos dices, per quam impius justificatur, & ex qua justus vivit? Et Sleida. l. 22. p. 748. te- stis est, anno 1552. fervente Concil. Trident. Franciscanum quen- dam publicè pro Conciione in explicat. Epist. ad Rom. docuisse; eos qui Christi cognitionem non habuerunt, honestè autem vixerunt, salu- tem esse consecutos.*

### XXXVI. Quod:

### XXXVI.

Quod annon sit in faciem contradicere Spiritui S. & in V.  
& in N.T. passim testanti, neminem absq; vera fide salvari; annon  
etiam hac ratione manifestus Syncretismus Calvino-Papisticus  
fiat, & error veterum Scholasticorum stabiliatur, docentium:  
Alios lege Naturę, alios lege Mosis, alios lege gratiæ salvari; judi-  
cet, qui judicare potest. Et tantum de Matæologia Calviniano-  
rum in justificationis Articulo; unde, an Calviniani cum Luthera-  
nis, an potius cum Pontificiis faciant, quilibet cordatus facile  
colligere poterit.



*Ad Dn. Magistrum Respondentem.*

**D**igna brabeja manent talem, qui milite  
dextrâ:

Hostiles pellit fortiter ense Viros.

*Quin magis implicitos, laxoq; Volumine gripbos*

*Qui solvit scite DIGNA BRABEJA MANENT.*

Vincetur quicunque latet, qui palluit enses:

*Non nisi certanti parta corona venit!*

*Ergo, felicidumpugnas Marte, MAGISTER!*

*Insigni tandem magnus bonore clues!*

Amico suo certiss. F.

*GOTHARDUS Löschchenbrand/*  
*Ulmensis.*

F I N I S..

Coll. Diss. A 179, vise 14